

99
do

A 231
7

Hist:
III. c. 8.

IV. 162 - 164 . III.

an

35

PROGRAMMA,
QUO
MYSTERIA RATIONIS
BREVITER PERSECUTUS

AD
AUDIENDAS DECLAMA-
TIONES
A QUATUOR IUVENIBUS LYCEI
NOSTRI HARBURGENSIS POLITISSIMIS,
ORNATISSIMIS

DIE V. MART. MDCCXLII. 1742

H. L. Q. C.

HABENDAS

DOMINOS PATRONOS, FAU-
TORES, AMICOS

ET
QUICUMQUE LITTERIS FAVENT
QUA DECET REVERENTIA, OFFICIO, HUMANITATE
INVITAT


CHRISTIANUS JOH. LUDOLPH. REUSMANN
RECTOR.

HAMBURGI, EX OFFICINA KÖNIGIANA.



PROGRAMMA
QUO
MESTRIA RATIONIS
PREVITER PERSECUTUS
AD
AUDIENDAS DECLAMA-
TIONES
IN QUATUOR JUVENIBUS LYCEI
NOSTRI FERDINANDI POLLITIS
ORNATISSIMI
DIE N. MART. MDCCXIII.
H. L. O. C.
HALLENSIS
DOMINOS PATRONOS, FAU-
TORES, AMICOS
QUI BENEVOLE FAVENT
QUICUMQUE LITTERIS FAVENT
QUI DEONT REVERENTIA, OFFICIO, HUMANITATE
CHRISTIANUS JOH. JUDOLPH. REUSMANNI
HALLENSIS
HALLENSIS REUSMANNI





Mysteriorum venerandum nomen inde ab ultimis saeculis, usque adeo auctoritate valuit, ut, siquid occultum magis atque reconditum videretur esse, omnis tuta ratio esset praetexendi mysterii. Cuius vocis originem si spectes, hanc repetunt plerique ab antiquissima Atticorum religione, sua quotannis mysteria celebrantium, hoc est, solemnia sacra in Proserpinae Cererisque honorem instituta et sanctissima silentii fide communita. Placet tamen ea potius vocis origo, quam Aegyptiorum genti eruditissimae deberi Aelianus, Plinius aliique complures referunt. Haec enim gens, quum praeter Chaldaeos atque Sabaeos olim una omnium maxime sapientiae laude floreret, et praecipue naturalium rerum penitus cognoscendarum studiosa esset; Peculiaribus libris omnem hanc rationem descriptam religiose adeo in templis custodivit, ut nisi initiatis mystis atque sacerdotibus praecepta illa perinde ac sanctissima religionis capita traderentur nemini. Probat exemplo suo Pythagoras, suae aetatis et doctrinae et virtutis gloria facile princeps, qui gravissima licet commendatione et litteris adiutus aegre impetravit ab Aegyptiis, ut adire sibi adyta ista occultioresque doctrinae partes ex ipso ore sacerdotum

A 2

hau-



haurire liceret. Postea vero factum est, ut quae sacerdotibus tantum vatibusque propria suoque peculiari modo usitata fuerat vox, consuetudine transfret in vulgi usum, et quidquid silentio dignum videbatur aut obscuritate quadam involutum, communi significatione notaret. Noli tamen existimare, BENEVOLE LECTOR, quum de mysteriis pauca disserere animus sit, me intelligere hic rem quamlibet ignoraram aut silentio tegendam, quam significationem ex mente vulgi plerumque verbo huic subiectam esse novimus. Alia vulgi lingua, alia eorum est, qui doctrina exculi suo quamque rem nomine insignire consueverunt. Qua propter quoniam a definitione omne cognitionis institutionisque genus proficisci debere recte praecipiant philosophi; Ita mihi definitur mysterium, ut rem id esse dicam, quam existere quidem prudentissimus quisque certa et indubitata ratione intelligit, sed ipsam tamen naturam causae aut modum explicare nullo modo potest. Et haec quidem significatio est, quae placet viris, qui quum reliqua doctrina florent, tum totos se in contemplandis naturae rebus perspicendisque posuerunt. Quibus expositis facile patet, quae res in censum mysteriorum referri mereantur, quae reiici: Ut, quum infinita ante animo comprehensa mysteria haberes, iam exingenti quodam immensoque campo in exiguum quasi gyrum compellere eadem liceat. Sic mysterium vulgo dicitur circuli quadratio, crux illa Mathematicorum, in qua eruenda tot saeculis frustra desudasse comperimus acutissima ingenia; quidquid nuper Falconetius Abbas de explicito feliciter problemate isthoc gloriatus est. Sed si vere dicam quod res est, tantum a mysterii definitione abest illa quadratio, quantum id, quod factum est, ab eo, quod potest forsitan fieri,



fieri, recedit. Non enim cadit in cognitionem earum rerum, quas esse quidem ratio intelligit, sed occultatas a natura latentesque causas modumve indagare nescit; propterea quod nullis adhuc rationibus constat, fieri posse, ut dimensio circuli numeris omnibus absoluta perficiatur. Quid vero? Stellarum inerrantium, quas graeco vocabulo planetas dicimus, habitatio nonne mysteriis accensetur a multis? Quum tamen aut ex similitudine, quam per omnia habent cum tellure nostra, probabili maxime argumentatione habitari easdem adferendum sit, aut plane a contrariis partibus standum. Neutra autem opinio, sive priori subscribas rectius hodie cum summis sapientiae magistris, sive posteriorem amplectaris, numerum multitudinis auctoritatemque secutus, ad nostrae definitionis naturam pertinet. Adde lapidem, quem philosophorum, venerandum illud sacrum, quod sanctissima veluti religione colunt, quicumque Alchymiae se studiosos esse et abdita naturae rimari penitus profitentur. Sane, siquid aliud, hoc eiici numero mysteriorum oportere existimo, quoniam nullis adhuc rationibus satis evictum est, perfici opera hominum atque industria mutationem metallorum in melius posse. Quapropter maneat hoc et fixum sit, quod continetur definitione nostra, quidquid ita comparatum est, ut esse quidem illud nemo dubitet, sed causas tantum aut naturam modumve quilibet ignoret, id esse mysterium, quod dicimus! Cetera omnia aut non haberi in numero isto, aut, si habeantur, hoc nomine esse indigna.

Sed quum duplex sit omne cognitionis nostrae principium, quorum ad alterum ratio spectat, ad alterum revelatio; Non est id quidem obscurum, eodem modo non posse non duplex esse mysteriorum genus, unum quod in Theologia



logia versatur, alterum quod Philosophiae peculiare est et proprium. Revelationis ea mysteria dicimus, quae dogmata fidei religionisque sanctiora proponunt, nulli rationis lumini perspicua, sed ab ipso Numine in codice sacro manifestata. De quibus quoniam accuratius exponunt libri omnes, qui sanctioris Disciplinae capita tradunt, prolixius agere hoc loco facile superfedemus, id tantum agentes, ut adpareat, quousque progredi liceat in rerum naturalium cognitione. Sed quae rationis vocantur alia mysteriorum conditio est; Quippe quae eas complectuntur res in rerum natura obvias, quae licet existere re ipsa deprehendantur, mentem tamen atque ingenium doctorum miris modis exercent, neque sciri patiuntur, quae sit earum natura, quae causa, quis modus, et quae sunt generis eiusdem. Et haec quidem quis non videt in Philosophia versari, non antiquiori tantum illa et incondita, qua veteres usi sunt, sed nostrae quoque aetatis recentiori? Propterea quod hanc veluti matrem artium humanarum et reginam complecti novimus rerum omnium copiam, quae sunt, quaeque sciri comprehendique animo possunt. Sed dum huic tractationi meae is propositus scopus est; Anceps adferri quaestio videtur a nonnullis, sintne mysteria quae dicimus necne in Philosophia nostra, quae acutissimorum ingeniorum opera ad summum usque fastigium evasit? Quae si ab imperitis proficiscitur oratio neque ullo doctrinae genere ornatis; Facile contemnitur, indigna quippe qua movearis. Nunc quum ex iis etiam, qui neque hebetes sunt animo neque inexercitati neque politionis humanitatis expertes, in illam dubitationem aliqui descendant; Vtique doceri oportet, qua ratione existere in Philosophia mysteria necesse sit. Sit igitur primum illud et quasi fons omnis huius argumen-



mentationis, cui suffragantur summis ingeniis, exquisita doctrina philosophi; quidquid cernitur animo, id omne quodammodo a sensibus oriri. Quod si minus proxime valet de omnibus cognoscendi modis, certe quin remote fiat interveniente alia quapiam re, quae ianuam aditumque patefaciat concipiendis animo rerum ideis, in dubium vocabit nemo. Vnde fit, ut verum ubique deprehendatur esse, quod inculcant Logicae artis magistri: Nihil esse in intellectu, quod ante non fuerit in sensu. Quum ipsae quoque res finitae, quarum notiones formantur in animo nostro, viae sint et occasiones, quibus veluti gradibus quibusdam ascendere ad ea licet, quae infinita sunt nullisque includuntur terminis. Jam quidem illud perspicuum est, vix usum ullum sensuum esse iis in rebus, quae aut subriles nimis et exiguae, aut remotae ita atque distantes sunt, ut perspicui nequaquam possint, quid sit illud quod quaeratur. Praeterea res saepius occurrunt infinitae numero, distinctae illae quidem omnino et inter se diversae, sed tamen ita comparatae, ut mentis acie discerni nequeant. Incurrunt enim quasi agmine facto simul omnes in mentem nostram, dum contemplantur aliquid, eamque nimia sui copia obruunt. Quibus ex omnibus iudicari potest, non modo oriri saepius obscuritatem in dispiciendo, sed ita quoque oriri, ut superari nulla ratione possit. Quid multa? Tota haec oratio omnem sibi fidem experientia confirmat, incorrupta illa atque integra teste, quae satis superque mysteriorum in rerum natura exploratam veritatem evincit. Quapropter qui hic reclamant, aut fastu nimio instantur, tamquam in suam possessionem omnis sapientia venerit, aut stuporis et vecordiae vitio laborant, quippe qui delirare cum aliis quam suo stare iudicio malunt.

Sed



Sed quoniam satis iam, ut opinor, expositum est, quid sint mysteria rationis, et quo illa modo existant; Non vagabitur oratio mea longius, sed ordine singula recensēbit, ut adpareat, quatenus occludatur nobis natura rerum, et quousque illa pateat. Quaecumque vero sunt aut esse possunt, in duo recte genera distribuuntur. Nam aut ad spiritus naturam aut ad corporis referri ea necesse est. Vnde duplex enascitur mysteriorum in philosophia genus: Alterum, quod ea complectitur quae circa spiritum obscuritate involuta naturae sunt; alterum, quod in rerum corporearum caligine versatur. Nos igitur habita distinctionis huius ratione ut potissima quaeque se nobis offerent, ita maxime ea enumerabimus. Sunt autem, quae in hunc censum referuntur

I. Permissio mali, una illa recondita maxime et abstrusa res in Theologia Naturali, quam factam esse philosophus fateretur omnis, sed causas quantum satis est explicare valet nemo. Equidem non inficior fuisse viros atque etiam nunc esse summos in philosophia arbitros, qui omne hoc quidquid est negotii egregie explicuisse sibi videntur. Contendunt enim, Deum, quum mundum condere ipsi placeret, non potuisse non permittere malum, aut certe non debuisse impedire; propterea quod omnium optimus dicendus sit hic mundus, in quo admixtum bono malum deprehenditur. Ex horum numero Leibnitius fuit, acutissimus philosophus et natura usque callidissimus. Ex hoc Wolffius est, illustrissimum nostrae aetatis in Germania decus, et ii omnes, qui prescius horum vestigia sequuntur. Atqui hi ipsi dum adcuratius rem



rem omnem expedire ratione duce cupiunt, subtiliori quodam et occultiori modo inscii et inviti inducere in rerum naturam necessitatem mali videntur. Iam si dixeris, nec posse mundum optimum esse, nisi qui mala bonis mixta contineat, nec condi plane potuisse mundum omnino libere mali carentem; Vereor, ne utrumque laedere videatur aut sapientiam Entis infiniti aut iustitiam aut bonitatem. Verbo, abyssus haec est, in quam si ratio descendit, omnes exhaurit vires, neque intelligit destituta lumine suo, unde venerit aut quo pergendum sit ulterius.

II. Vinculum animi et corporis. Quam

arcto inter se nexu utraque haec pars hominis cohaereat, et quanta sit utriusque, si indolem, conditionem et actiones spectes, consensio, experientia unumquemque docet. Unde fit, ut recte pendere dicantur corporis quaedam actiones ab animi voluntate, et perceptiones animi quaedam a corpore impulsisque sensuum instrumentis. Sed qua ratione consensio ista, quo modo efficiatur, is Gordius est nodus, qui philosophorum ingenia exercet. Quaecumque igitur hanc in partem dicta sunt, ad tria potissimum genera referri possunt. Primum Peripateticum, antiquissimum illud et maxime pervulgatum, eorum est, qui ita consentire cum corpore animum dicunt, ut in animum corpus et in corpus vicissim animus agat influatque naturali quodam modo, quod ipsis vocabulum placet. Alterum complectitur hos, qui ad Deum confugientes tamquam ad aram rem omnem ad voluntatem divinam referunt legesque a Numine latas. Quae tamen sententia nemini placet nisi Cartesio et qui huius auctoritatem sequuntur.



sequuntur. Superest tertium recentiorum nostra aetate virorum, Leibnitii, Wolffii reliquorumque, qui multi satis numero ab horum stant partibus: Qui neque corpori in animum neque animo in corpus vim ullam tribuunt, sua utrumque vi efficere adserentes quidquid agunt, quorum uno eodemque temporis momento qui consensus fiat, dudum ante praestabilitus et ab auctore utriusque Deo reperendus sit. Sed neque in primo genere intelligi aut explicari potest, quid sit in corpus animi influxus et corporis in animum, ab omni quippe concretionis labe remotissimum: Neque cum altero aut sapientia divina aut iustitia consistit. Nolo de tertio hic commemorare, quae a viris acutissimis obiiciuntur de pugna cum principio rationis sufficientis, de infinita miraculorum serie, et, quod maximum est, de labefactata hominis libertate; ne forte iniquior videar in Theologos quosdam nostrates summos, qui systemati huic tamquam optimo palmam deferunt. Id tamen adfirmare licebit, neque hanc sententiam ex certis exploratisque rationis principiis satis evidenter esse commonstratam, sed multis multorum telis expositam esse atque obnoxiam. Quidquid id est, ex omnibus his facile patet, rationem nostram hallucinari maxime in perspicienda rei huius natura, nec alibi valere magis quam hic, quod dictum legimus: Hem! quantum est quod nescitur!

III. Origo animae, cuius uti totidem explicationis modi celebrantur, ita eadem obscuritas est. Docent enim alii, corporis cuiusque humani animas a Deo principio rerum omnium creatas esse omnes, suo post tempore



pore corporibus suis uniendas. Sed quid quaeso facilius est quam hinc argumentari, quod nullo modo conveniat cum sapientia divina, creatas sorte feliciori animas iungere vitiosis calamitosisque corporibus, quodque adeo in Deum quodammodo culpa infelicitatis omnis humanae derivanda sit, quum tamen de infinita Numinis bonitate constet? Alii novam subinde creati animam adferunt a Deo corpori iungendam, quotiescumque futurum sit ut homo nascatur. Sed hos apertius etiam in errorum scopulos incidere necesse est; quod hac ratione natura rerum non nisi infinita series miraculorum erit, praeterea et iniustitiae accusabitur Deus, omnisque mali auctor constituetur esse, quae vel cogitare animus horret. Aliis denique ea sententia placet, quae a parentum anima animam liberorum trahere ortum docet, idque iterum duplici ratione. Nam aut potentia et virtute inesse parentibus eam propagarique per traducem adfirmant; Aut re ipsa inesse parentibus dicunt et propagari accedente naturali generatione. Verum hic quoque infinitae difficultates occurrunt. Nam quia nulla propagatio cogitari potest citra extensionem, anima autem nostra spiritus est ab omni concretionem liber; Fit ut intelligentia comprehendat nemo, qua ratione illa propagatio perficiatur a spiritu. Et quidquid hic dicitur, verendum est, ne naturae animi derogatum eat omnis materiae expertis. Quae quum ita sint, tutissimum est fateri hoc loco ignorantiam, positamque in medio relinquere rem, cuius naturam perspicere recte nulla mentis acies valet.

IV. Sedes animae in maximas itidem dubitationes
B 2 mentem



mentem nostram coniiicit. Animam inesse nobis tamquam principium vitae nostrae omniumque actionum nostrarum, tam notum est quam quod notissimum. Sed quo illa loco potissimum actiones suas perficiat, unde in omnes aequae partes corporis exerceatur imperium, de eo certant inter se philosophi, et adhuc sub iudice lis est. Sunt qui cum antiquis praecipue cor esse habitaculum animae dicant. Quod quum minus placeret aliis; In capite tamquam in arce collocaverunt animam, et cerebri partem quandam ei tribuerunt verum propriumque domicilium. Immo Cartesius in ipso cerebro glandulam, quae ob formae similitudinem pinealis dicitur, fixam animi sedem vocare nullus dubitavit. Iam quidem experientia docti utique fatemur, adfectiones sensuum ex re aliqua ad cerebrum usque manare ab impulsis sensuum instrumentis, unde perceptiones in mente et ideae oriuntur. Neque vero idcirco definire audemus, quis proprie sit locus animae addictus, quamdiu de natura mentis nostrae pluribus in locis ratione duce certi nihil definire licet.

V. Adfectiones sensuum in cerebro.

Vt in quolibet animante, sic in hominis etiam corpore infinita nervorum vis et multitudo est, qui ex cerebro orti in omnes et singulas partes corporis manant, pleni succo, qui nerveus dicitur motuque celerrimo per omne corpus diffunditur. Quodsi igitur ab externis rebus corporeis impulsâ sunt instrumenta sensuum, ut oculi, aures, nasus, lingua denique cum cute; Fit, ut factus ille impulsus beneficio succi huius nervei eodem temporis momento, quo percelluntur sensus organa, subito ad cerebrum



brum propagetur. Hic autem subtilissimis motibus productis compositae quaedam ex materia imagines exprimuntur rerum, quae fons et principium sunt omnis et perceptionis nostrae et cognitionis. Et harum quidem rerum facilis est et expedita distinctio. Qui sint autem hi motus subtilissimi pro varietate imaginum infinita varietate in cerebro excitati, aut quo pacto vi nervi succi agere rursus in reliqua corporis membra possint, id vero lucem nobis omnem eripit caliginemque maximam offundit mentibus nostris. Quocirca nemo adhuc philosophus prudentior existit, qui hanc abditissimam affectionum mutationumque in cerebro rationem aliquo saltem modo explanare auderet.

VI. Elementa, initia rerum omnium nullo non tempore crucem fixere philosophis. Et esse quidem huiusmodi principia, quorum commixtione inter se et copulatione corpora quaecumque consentunt, conveniunt inter omnes. Sed quae sint ea initia, unde corpora nascuntur, et quot sint numero, de eo summa philosophorum disensione certatur; quorum tamen omnium opiniones persequi nec instituti nostri nec pagellarum ratio permittit. Peripateticorum vulgarissima sententia ex mente Aristotelis est, qui quatuor principiorum genera complexus, ignem, aquam, aërem, terram, ex his constare quidquid oculis cernitur, dixit. His quum opponeret se Gassendus, atomos cum Epicuro et Democrito constituit rerum omnium principium, reiecit tamen his, quae de motu earum aeterno et natura nullius subiecta arbitrio perperam illi docuerant. Alio rursus modo Cartesius, qui quum natura



turam corporis in extensione positam esse contenderet, omnem elementorum rationem e figura explicuit. Vnde mirum non est, videre nos cum Cartesio elementa quaedam laevia, alia aspera, acuta alia aut obtusa, partim rotunda aut oblonga, partim incisa angulis, curvata quaedam et quasi adunca, et quaecumque demum figura extensionis cogitari potest. Quae nostra aetate Leibnitiuss et post eum Wolffius eiusque adseclae, neglecto sensuum iudicio, rationis ope eruerint de monadibus seu entibus simplicissimis, neque figura ulla neque extensione neque motu praeditis, sola interna differentia inter se diversis, nemo est peritior philosophiae qui nesciat. Sed licet summi hi viri proxime accedere ad veri similitudinem videantur: Nullo tamen modo hinc constat, quae sit interna elementorum differentia et quis ordo coniunctionis copulationisque, unde tanta tamque infinita corporum in mundo varietas existit.

VII. Figura universi. Stupenda mundi magnitudo iis quodammodo adparet, qui solis incredibilem a tellure distantiam cognoscunt. Hic si alterum adiungas spatium immensum, quo ulterius a sole fixae stellae recedunt; Si praeterea non sine multa veri similitudine cogites, unamquamque stellarum, quas fixas dicimus, pro sole habendam esse, suisque planetis cingi; Tanta profecto vastitas universi patet, quanta non dicam sensibus nullis, sed ne mente quidem et ratione comprehenditur. Quid autem? Num in infinitum patere hoc quidquid certitur universi putabimus? Sane non ita ratio praecipit, quae quum omni materiae tum universo mundo suos limites



mites praefixos esse et terminos agnoscit. At ea ipsa, quoniam ad ingens quod extenditur spatium nulla vis mentis accedit, neque rotundum audet neque oblongum neque alius denique formae appellare universi ambitum, sed suis proxime finibus contenta rem tam longe disitam in medio relinquit.

VIII. Motus Planetarum, est ille quidem omnibus et singulis ita notus, ut, licet dubitent nonnulli, utrum tellurem potius, an, quod praestat ex mente nostrorum physycorum, solem ambient illi qui volvuntur stellarum cursus sempiterni, in hoc tamen omnis omnium consensio fit, quod circulos suos orbesque conficiant celeritate mirabili. Sed quoniam in Philosophia rerum omnium ratio reddenda est; Quaeritur, qui fiat ut indefesso cursu haec tam grandia corpora in orbem semper redeuntia numquam requiescant? Causam in vorticem solis transfert Cartesius, qui coelo per immensum prope spatium extento volubili et in orbem incitato mundana ista corpora complexus secum rapiat quam fieri potest celerrime. Sed quum non nisi Cartesiano cerebro probentur illi vortices; Aliis impulsus placet corporis cuiusque mundani vehementissimus, eo ipso quo conderentur momento factus. Hos tamen facile confutant, qui mechanismum quendam docent motus huius aequabiliter sibi semper consentientis. Quis autem sit mechanicae huius structurae nexus et ordo, ipsi definire non audent, sed quid certi ea de re constituendum sit, nescire se fatentur cum sapientissimis.

IX. Ae-



IX. Aether. Quum stupendis sane intervallis distent a se invicem vastissima sidera; Non est quod credas, vacuum esse illam immensitatem, quippe quam ubique corpora quaedam replent, ad extremam usque oram et determinationem mundi recedentia, quae vulgo aetheris appellari nomine solent. Fallitur hic, qui concipere animo velit crassio rem aërem et concretum, qualis terrae nostrae proximus est, quem non ultra millia aliquot passuum protendi e regionibus nostris deprehendimus. Neque tamen est, quod Cartesio per omnia fidem habeamus, adserenti, globulis eum constare tenuissimis, qui motu celerrimo ferantur. Rursus si in recentiorum physicorum castra descendes, definientur tibi corpuscula tenuissima, subtilissima, fluida et ad motum extensionemque accommodatissima. Sed eae ipsae notiones plus satis tibi obscuritatis offundent, nec aliud quidquam quam infinitae dubitationis argumentum in animo relinquent.

X. Gravitatio corporum. In omnibus, quae sunt quaeque sensu comprehenduntur, corporeis rebus vis quaedam singularis animadvertitur inesse, quae veluti animat easdem, efficitque ut motu perpendiculari in terrae superficiem ferantur. Gravitatem hanc vocamus, quae tam manifesto in sensus vel imperitissimi cuiusque incurrit, ut qui negando eam de corporibus tolleret, solem tollere de coelo videatur. Quis sit igitur constitutus fons, quae causa gravitatis huius, philosophorum est disquirere. Et Aristotelici quidem cum scholasticis in ipsis corporibus inesse causam adferentes, impetum quandam et conatum tribuunt materiae impellendi se versus centrum.



centrum. Qui quid sit aut unde nascatur, quoniam nulla ratione ab iis explicari potest; In alia omnia eunt physici recentiores, qui causam gravitatis extra corpora quaerentes, ex materia aliqua interlabente subtilissima proficisci putant. Sed hi ipsi, quum de linea agitur directrice huius materiae, non una sed citra modum et finem multiplici concipienda; Infinitis difficultatibus obrutos se vident, quas superare frustra ingenium laborat. Alii igitur et in his Angli praecipue omnem gravitatis causam a magnetica vi telluris derivant, quae corpora attrahat et invita veluti ad se rapiat. Sed neque hic causae explicator modus est, maiorum etiam fortasse dubiorum parens. Quapropter ego, non quod iudex et arbiter esse cupiam tantae controversiae, id enim mihi non sumo, sed summorum virorum iudicia secutus censeo, tantum non omnia hic nos figere, immo ne liquere quidem, an sperari umquam exactior rei cognitio possit.

XI. Attractio corporum. Nonnullorum corporum singularis aliqua proprietas deprehenditur, qua fit ut aliis alia adpropinquent, et mirabili quodam motus genere ad se mutuo accedant. Haec enim vocis adpellatio magis placere videtur viris nonnullis summis in re physica arbitris. Experientia certissimis id testimoniis comprobatur, nec ullam in animo nostro dubitationem relinquit, quidquid regeritur ab iis, qui e natura rerum in perpetuum exsulare attractionem iubent. Videre licet, ut uno tantum exemplo utar, in tubulis vitreis tenuissimis, quos ob similitudinem, qua proxime accedunt ad capillos, barbaro licet vocabulo capillares dicimus. Hi enim, tametsi clausa sit altera extremitas, aquam, quam attingit

radio

C

immissa



immissa altera extremitas evocant ita et quasi imbibunt, ut ascendendo evadat in summum. Neque tamen explicare ratio valet, quae causa sit mutui huius corporum accessus. Sunt qui naturali quodam et spontaneo motu impelli versus se mutuo corpora arbitrantur: Sunt qui aliorum corporum contactu et impulsu fieri illud dicant. Vtraque sententia plurima difficultate laborat. Melius hi sentiunt, qui aut ab exhalationibus aliorum corporum effici ista existimant aut ex abdita aliqua et recondita re proficisci, quae in natura rerum interna lateat. Optime tamen omnium, qui ignorantiam hoc loco suam farentur, clarioremque cognitionem posteritatis fortasse acumini et iudicio reservari adfirmant.

XII. Materia magnetica. Mirabili prorsus vi gaudere magnetem quum veteribus iam quodammodo notum fuit, tum nostra maxime aetate a philosophis plenius exploratum est. Est autem ea vis materia subtilissima, solidissima quibusque corporibus pervia, quae in modum torrentis rapitur circum magnetem, permeatque eundem, et attractionis magneticae una vera et constans causa est. Nihilominus tamen secius investigari nulla mente et ratione potuit particularum materiae huius natura, unde modus attractionis paullo fieret explicator. Ridetur igitur Cartesius, qui, tamquam ipse spectator adstitisset condendi tanti miraculi, duplicis generis cochleas finxit, quibus omnis illa materia conflet. Ridetur Gassendus qui hamata et adunca corpuscula animo conceperat. Ridetur et alii, qui plumatiles particularum formas describunt. Nulla enim in his omnibus ideis inest certa iudicandi et adfentiendi nota.

XIII. Materia solis. Solem, qui astrorum omnium obtinet



obtinet principatum, non luminis tantum esse fontem visus docet, sed tepescere etiam saepiusque comburere tactus probat. Quid rectius colligere hinc licet, quam igneum illum esse, quoniam utrumque non nisi ab ignis natura profiscitur? Etiam illud perspicuum est, non esse elementarem hunc solis ignem, qualem ex doctrina Aristotelis hauserunt Scholaistici, sed eundem cum hoc nostro, quem usus vitae requirit. Sed alia hic res versatur mihi ob oculos, quae quaeritur, in qua eruenda summa ingenia philosophorum plurimo cum labore consumta intelligimus, quae sit nimirum ignis istius materia, durane et solida et compacta, an fluida et liquens. Nolo repetere prolixius aliorum innumerabiles propemodum errores dicam nescio an coniecturas: Quum alii purissimum ignem, alii congeriem liquentis metalli, alii rupem vastam incendiisque perpetuis furentem, alii fervens flammis et exaestuans mare, alii denique aliter materiam solis interpretati sint. Id tantum dicam, non perturbari nos debere hac opinionum varietate philosophorumque dissensione. Fieri enim non potest, ut certi ac firmi, in quo insistant, quidquam habeant, quum tantis locorum intervallis a sole terram Deus diviserit. Quid mirum ergo, si modo huc modo illuc incertis opinionum fluctibus agitati vagantur?

XIV. Maculae solares. Est et haec doctrina, si rem ipsam spectes, clara iam et aperta et veluti in conspectu omnium posita. Verum si causam quaeris et originem, anceps disputatio est et plena concertationum. Neque enim facile dixeris, spumam esse in fluido atque exaestuante solis mari concretam; Neque planetarum ipsis nomen tribuere et naturam tutum videtur; Neque rursum iuraveris, vapores esse et exhalationes magno numero adsurgentes ita ex igneo



igneo solis orbe, ut in nubes concrecant. Quid? quod, si vel maxime ita se res habet, dubitabitur nihilo minus, quae sit materia vaporum illa, ex qua cogi circa solem nubes spissiores videantur.

XV. Numerus stellarum. Vti omnium creaturarum rerum, quae mente et ratione lustrantur, certus modus adparet et terminus; Ita siderum illud genus, quod spatiis immutabilibus ab ortu ad occasum commeans nullum terminum cursus sui vestigium inflectit, definito numero terminari necesse est. Sed quum immensa propemodum vastitas coeli pateat, in quo flammæ siderum collucet; Nulla mens et ratio complecti numerum illum potest. Latere profecto lavant, quibus in hoc negotio operam et laborem confumere placet. Nec Flamstedium Anglum feliciore successu usum novimus in commetiendis numero stellis, quum bis mille sexcentas quatuor fulgere coelo diceret, quam olim Prolemaeum Aegyptium et longo post temporis intervallo Hevelium Gedanensem, quorum uterque numerum minorem constituerat. A consuetudine oculorum abducere hic aciem mentis oportet, quum armati oculi usus stupendam prorsus multitudinem magis magisque aperiens, in una aliqua parte Orionis ad quingentas conspectas esse stellas doceat. Ut taceam lacteum orbem, splendidissimo candore elucentem inter sidera circum, quem non nisi infinitam feriem stellarum esse iam in aprico est.

XVI. Cometae, quorum obscurior etiam multo et abstrusior ratio est. Nam licet Halleii acre ingenium praeunte Newtono adcuratius exposuerit nobis de perennitate horum corporum et soliditate, de atmosphaera crassiori pariter



riter atque tenuiori, de via eorum aut parabolica aut elliptica, et quae sunt generis eiusdem; Tamen sciri nihil et intelligi de materia potest, ex qua rudior eorum forma conflata est. Quin ipse etiam orbis, quem statim tempore cometæ alii circum solem, alii circum alias fixas stellas conficiunt, tam insolitus adparet tamque abhorrens a reliquorum planetarum curriculo, ut quae sit causa, quis finis, scias cum ignarisimis.

XVII. Aurora borealis. Meteororum omnium quae emphatica vocamus, splendidissimum est et magnificentissimum id, quod ab ea parte coeli, qua fulgore plurimo coruscât, Aurora borealis dicitur. Quae quum inde, a sexto et decimo saeculi huius anno observaretur frequentius, ad ignea referri meteora cœpit, id quod ab ipso Illustri Wolfio factum legimus, tempestatem imperfectam eam vocante, cui iusta veluti maturitas desit. Sed quum postea rem diligentius excuterent philosophi; Colorum multiplici varietate ducti iudicaverunt, non ignem verum hic adesse, sed fulgorem quendam ex percussu oblique accepto crepusculi lumine resplendentem, quod originem debeat soli. Et hæc quidem sententia valuit apud plerisque, donec ante quadriennium Celeberrimo Maupertuisio sub ipso boreali axe degenti contingeret ea videre, quae nemo viderat in terris longius a septentrione remotis. Hic enim comperit, pulcherrimum hoc naturæ spectaculum lucem esse splendidissimam, collustrantem omnia, mille coloribus distinctam, rutilam, micantem, in flammâ dehiscentem et fulgura, et induentem se in infinitas rerum formas, quae crescit in dies et augetur, quum primum noctes spissiores immittuntur huic regioni. Ut adeo satis superque adpareat, solaribus radiis acceptam referri nullo



modo posse hoc quidquid cernitur luminis. Neque tamen ipse Maupertuisius alique summi viri definire ausi sunt, unde sit hoc lumen, quod aër iste crasior exceptum veluti speculo retorquet, aut cur aliam ex alia formam induat: Tutissimum rati, posteritatis maturiori forsàn iudicio relinquare quae in praesenti latent.

XVIII. Calor terrae intestinus. Nativo calore et intestino gaudere terram, ex quo innumerae res efficiantur salutare, et tepidi fontes probant, et terrae motus declarant, et montium cacumina ostendunt, ex quibus prorumpit vis flammaram et impetus, et ipsa denique metalla testantur. Vnde simul apparet, necesse esse, ut ex centro terrae paribus veluti radiis ad singulas ambitus terrestres partes adscendat, fertilitatis causa non levisima. At si quaerimus, quid sit illud quod efficiat hunc calorem; Quo se vertat, nescit ratio, nisi ad coniecturas quasdam levisimas. Quocirca nulla fides habetur Cartesio, ignem adferenti maximum flagrare semper in abscondito et obscuro. Parum quoque Kircherus probatur, dum sparfos passim plurimos in abyssò telluris specus fingit igne perpetuo exaestuantes. Immo nec Whistono et Burnetio adsentimur, qui ingeniose admodum in centro telluris nucleum constituunt ingentem, solidum, ferventissimum. Non enim coniecturis et fictionibus standum est, sed iustis argumentorum ponderibus. Quod dum fieri nequit, quid est quod pudeat fateri ignorantiam, quae nemini vertitur opprobrio?

XIX. Generatio metallorum. Metalla generari in montibus ex commixtione varia materiarum, quae sub terra latent, vi caloris non solaris magis quam intesti-
ni



ni telluris, neminem fugit politum fatis iis artibus, quas qui tenent eruditi appellantur. Sed modum si scire cupis, quo misceantur et concrecant metallorum initia; Nil nisi maxima obscuritas et caligo menti tuae offunditur. Ipse illi summi rerum naturalium investigatores quidquid laboris hic collocaverunt et operae et industriae, id omne perdidisse se deprehenderunt. Neque plus profecerunt, qui Chemicæ artis sunt studiosiores, in eruendo hoc arcano naturæ, tamen si dies noctesque in eo defudaverint. Superest unum illud, ut, quod Seneca olim dixit, prudenter hoc loco reperamus: Veniet fortasse tempus, quo ista, quæ nunc latent, in lucem dies extrahat et longioris ævi diligentia.

Nisi qua me forte fugiunt, hæc sunt fere potiora mysteria, quæ in Philosophia occurrunt. Equidem scio nihil me dixisse de systemate mundi, de recessu maris et accessu, de legibus quas sequuntur in motu corpora, et si qua pauciora sunt alia. Sed quoniam communi fere omnium plausu hodie excipitur Copernici descripta ratio ob phaenomenorum mirum cum hac doctrina consensum, et præterea maris quoque reciproci causa sufficiens adesse videtur, postquam attractio Newtoniana locum apud doctissimum quemque invenit; Nolo iam diutius versari in argumento prolixiore, quod non capiunt hæc pagellarum angustiae, quarum iam modum me excedere meminimus. Non possum tamen quin respondeam iis, qui quaerunt fortasse, an sperare liceat, futurum, ut mysteria quaedam enodentur. Respiciamus, quaeso, ad eadem tempora, quibus veteres floruerunt philosophi, Graeca dico et Romana. Respiciamus et ad ea, quæ propiora saeculo nostro maiorum patrumque nominibus clara fuerunt. Quantum caliginis, quantum dubitationis hic deprehenditur rerum, quas nunc plenissima luce collustratas videmus! Sic est profecto; Nobis iter patefecerunt veteres



teres, nos idem aperiemus posteris. Si studium igitur horum et industria accesserit; Quid vetat, quo minus cognitioni eorum lux maior oboriatur? Praefens exemplum nos docet Celebrissimi Maupertuisii, qui quadriennio abhinc figuram telluris veram maiori labore nescio an ingenio inventam detexit, ignoratam tot saeculis a doctissimis viris. Quae quum ita sint, dubitare nemo potest, si contendas comparesque veterem Philosophiam cum recentiori nostra, quin multis parafrangis haec post se illam relinquat. Quod quum pluribus commonstraturi sint quatuor Iuvenes, scholae nostrae alumni Honestissimi, Ornatissimi, quorum in optimarum artium studiis cum laude versata industria est; Ordine ita peragent hoc negotium, Latino omnes sermone declamaturi, ut

I. HENRICVS WILHELMVS THEODORVS HARTMANN, Carlstorffio-Luneburgicus, an utile sit conferre inter se veterem recentioremque Philosophiam, disquirat, rogetque Auditores, ut benevolas aures praebent declamaturis.

II. IOHANNES MATTHIAS POSTELS MINOR, Iorckio-Bremensis, Philosophiae veteris praestantiam et dignitatem pro virili extollet.

III. IOHANNES NICOLAVS BERGHAVER, Luneburgensis, ostendet, in Philosophia omne punctum ferre veritatis studium, et simul abituro in academiam commilitoni nomine reliquorum gratulabitur.

IV. DANIEL POSTELS MAIOR, Iorckio-Bremensis, Philosophiae recentiori gravissimas ob causas palmam tribuet. Qui quum altiores musas sit salutaturus, postremo ligata oratione ultimum VALE dicit.

Adeste igitur, *PATRONI, FAUTORES, AMICI*, et quicumque bene cupitis litteris, Vestroque favore conatus Iuvenum excitate, iuvate: Et, quod Vobis etiam fortasse non inucundum erit, se vera negotia Vestra hilarioribus his musis distinguite. Me certe pro isthoc benevolentiae et officii genere, quo mirum in modum augebitis Iuvenum in discendo ardorem, gratum semper habebitis et ad reddenda officia paratissimum.

AB: 155064 (1)

ULB Halle 3
003 921 654




Sb.

VD08

R

VD17






IV. 162 - 164. III.

ur

35



ur

**PROGRAMMA,
QUO
MYSTERIA RATIONIS**

BREVITER PERSECUTUS

AD

**AUDIENDAS DECLAMA-
TIONES**

**A QUATUOR IUVENIBUS LYCEI
NOSTRI HARBURGENSIS POLITISSIMIS,
ORNATISSIMIS**

DIE V. MART. MDCCXLII. 1742

H. L. Q. C.

HABENDAS

**DOMINOS PATRONOS, FAU-
TORES, AMICOS**

ET

QUICUMQUE LITTERIS FAVENT

**QUA DECET REVERENTIA, OFFICIO, HUMANITATE
INVITAT**

CHRISTIANUS JOH. LUDOLPH. REUSMANN

RECTOR.

HAMBURGI, EX OFFICINA KÖNIGIANA.

